



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Karoli M. epistola ad Pippinum filium Regem Italiae, de pace Ecclesiarum
Dei & servientium earum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

EPISTOLA IMPERATORIS

Ad Pippinum filium Regem Italiae, de pace Ecclesiarum Dei
& servitium earum.

K Arolus serenissimus Augustus à Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, Romanorum gubernans imperium, ac per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum, dilectissimo filio nostro Pippino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem. Pervenit ad aures nostras quòd aliqui Duces & eorum juniores, Castaldij, Vicarij, Centenarij, seu reliqui ministeriales, Falconarij, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes vel discurrentes, mansionaticos & paravereda accipiant, non solum super liberos homines, sed etiam in Ecclesiis Dei, monasteria videlicet virorum ac puellarum, & xenodochia, atque diversas plebes, & super reliquos servientes Ecclesiarum Dei, in eorum opera, id est, in vineis & campis, seu pratis, necnon & in eorum aedificiis illos faciant operari, & carnaticos & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant, & multas oppressiones patiantur ipsae Ecclesiae Dei vel servientes earum. Ideoque, carissime fili, has litteras ad tuam dilectionem direximus, ut hanc causam diligenter ac prudenter inquirere facias, & si veritas est quòd ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas: quatenus in diebus nostris ac tuis pax Ecclesiarum

Dei, sive illarum servientium, in omnibus conservetur, & ut merces copiosa nobis ac tibi jugiter adcreseat. Audivimus etiam quòd quaedam capitula quae in lege scribi iussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicant quòd nos nequam illis hanc causam ad notitiam per nosmetipsos conductam habeamus, & ideo nolunt eis obedire nec consentire neque pro lege tenere. Tu autem nosti quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipsis capitulis. Et ideo admonemus tuam amabilem dilectionem ut per univrsum regnum tibi à Deo commissum ea nota facias & obedire atque implere praecipias de Episcopis & sacerdotibus occisis sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet causis. Veruntamen de Presbyteris videtur nobis ut si liber natus est Presbyter, tripla compositione secundum suam legem fiat compositus; & si plagatus fuerit, secundum qualitatem plagarum vel disciplinae tripla compositione emendetur qui hoc perpetraverit. Si autem Presbyter servus natus fuerit, secundum illius natiuitatem tripla compositione solvatur in plagis & disciplinis. Et de Diaconibus similiter fiat. His expletis, bene valesem, per in Domino fili dilectissime,

Capitulare
I. anni
807